



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 281. Non est hic surrexit enim sicut dixit. v. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine qui nosti omnia & quem nihil potest latere, respice quoque ad meam intentionem in te quærendo, & si quid est quod displicet in ea, mitte auxilium ab alto à quo corrigatur, & ad finem perfectum dirigatur ad tibi scilicet serviendum & te videndum.

§. 281. *Non est hic surrexit enim sicut dixit. v. 6.*

Ne igitur putarent sanctæ mulieres videntes tanto in splendore Angelum sedentem ad sepulchrum, ipsum esse Jesum quem quærent, & sic ipsum adorarent adoratione latræ, quæ soli Deo debetur, sed sola dulz quæ SS. & hominibus etiam dari potest, prævenit ipsas & dixit, Non est hic, scilicet Jesus Christus quem vos quæritis adorare, neque ego sum Jesus sed eius minister, itaque cavete ne me adoratione indebita adoretis, sed Christum qui surrexit sicut dixit, & hinc abiit in Galilæam, adorare illa suprema adoratione.

Domine in omnibus tuis ministris agnosco mirabilem humilitatem non gloriæ propriæ quæstum, sed tuam ubique & in omnibus: contra in omnibus infidelibus, hæreticis & impiis etiam Catholicis, miram adverto ambitionem, & arrogantiam, ita ut vel inde dignosci possint. Itaque Domine Deus opto ex animo esse tuus minister, & quis dabit mihi hanc gratiam ut sic in omnibus quæram gloriæ tuam semper, & nunquam meam, nisi tu Deus qui es ipsum humilitatis exemplar, da quod placitum tibi est, placitum namque tibi est habitare in corde humili, ut maneam fidelis servus tuus.

§. 282. *Venite & videte locum ubi positus erat Dominus.*

Postquam iam Angelus sua humanitate & gratia aliquem animum mulieribus his addidisset ut timorem naturalem tæmineo sexui remitterent, insuper appellaret Jesum quem quærent & Dominum suum, insinuando ut, sicut illæ venissent ut eum adorarent & servirent, & testes resurrectionis eius esse possent, sic eum ibi adesse in eundem finem scirent quare appellavit eas ut audacter accederent ad sepulchrum, & omnia perscrutarentur, ut ex signis Christi resurrectionem fideliter & sine hæsitando credere & annuntiare possent.

Domine quanta dulcedo est conversari cum tuis ministris, cum quanta humanitate, & animi sinceritate nos pauperes humunciones ad te accedere norunt & agunt nobiscum & conversantur, patet in hac Angeli tui conversat.